



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

36. Vrbanus II. Papa Atrebatensem Episcopatum à Cameracensi, cum quo hactenus fuerat vnitus, separat, & ea de re ad Clerum Atrebatensem scribit, an. 1093.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

## CAPVT XXXVI.

*Urbanus II. Papa, Atrebatensem Episcopatum à Cameracensi, cum quo hæcenus fuerat vnitus, separat, & ea de re ad Clerum Atrebatensem scribit, an. 1093.*

**V**Rbanus II. seruus seruorum Dei dilectis filijs ALARDO Atrebatensi, & BERNARDO Ostreuannensi, Archidiaconis, ac omnibus Præpositis & Decanis, cum omnibus clericis, qui in prædictis Archidiaconijs sunt, salutem & Apostolicam benedictionem.

Apostolicæ nos sedis compellit auctoritas, vniuersis per orbem terrarum Ecclesijs providere, & sua iura poscentibus paterna compassione succurrere. Quia igitur Atrebatensis ecclesia, multis iam temporibus propria carens dignitate, Cameracensis ecclesiæ iugum pertulit, dignum profectò duximus, vt propitiante Domino amissa ei dignitas, ex Apostolicæ sedis benignitate, restitueretur. Neque enim subiectionem Atrebatensis ecclesiæ aliquod Romanæ auctoritatis chyrographum Cameracensibus vendicat, & Atrebatensis vrbis populolitas longè illam, cui hæcenus subdita fuerat, antecedit.

Et Canonum itaque decretis, & prædecessorum nostrorum exemplis freti, nunc tandem, annuente Domino, Atrebatensium iustis votis & petitionibus importunis effectum dedimus, & venerabilem virum LAMBERTVM, quem communi assensu electum ad nos, cum communi decreto, adduxerant, in Episcopum consecrauimus, quæque ad Atrebatensem parochiam antiquitus pertinuisse noscuntur, ipsi & ipsius successoribus perpetuò regenda & Episcopali iure possidenda priuilegij auctoritate confirmauimus; nominatim Archidiaconias duas, quarum vna *Atrebatensis*, altera dicitur *Ostreuannensis*.

Vestram ergò dilectionem litteris præsentibus admonemus atque præcipimus, vt ei deinceps tamquam Cardinali Episcopo, & tamquam B. Petri manibus consecrato, subesse & obedire iuretis. Vnde & vos & clericos vniuersos, qui in prædictis Archidiaconijs sunt, à professione Cameracensis ecclesiæ absoluimus.

Si qui verò inter vos huius nostræ constitutionis tenore perspe-  
cto,

cto, prædicto confratri nostro Atrebatensi Episcopo obedire contempserint, quamcumque in eos sententiam ipse Episcopali moderatione dictauerit, auctoritatis nostræ pondere firma permaneat.  
Data Romæ VIII. Kalendas Aprilis.

## N O T A T I O .

OSTREUANNENSIS. ) Sunt hodieque duo Archidiaconi in dicecesi Atrebatensi, videlicet Atrebatensis, & Ostreuannensis seu Oitrobantensis.

## C A P V T XXXVII.

*Robertus cognomento Hierosolymitanus, Flandria Comes, Roberti Frisij filius, in Terra sancta militans, factò voto, Abbatiam S. Andrea, Benedictinorum, prope Brugas, instituit per uxorem suam Clementiam iubet: Baldrico Tornacensi ac Nouiomensi Episcopo approbante an. 1105.*

**I**N nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego BALDRICVS, Dei gratia, Tornacensium atque Nouiomensium Episcopus, omnibus hic & vbique fidelibus in æternum gaudere cum gaudentibus.

Nulli pænè fidelium in vniuerso orbe terrarum constat esse incognitum, ROBERTVM iuniorem Flandrensiū Marchionem, in Ierosolymitano exercitu, præ ceteris omnibus ducem & signiferum Christianorum existisse, & ad laudem & gloriam nominis Christi contra paganos fideliter & viriliter dimicasse.

Hic cum per varia bellorum pericula Antiochiam peruenisset, & inibi vnà cum ceteris Christi fidelibus, ab innumerabili superuentientium paganorum multitudine obsessus fuisset, diuini spiritus inflammatus igne, & B. Andreae Apostoli succensus amore (per ipsum enim vistrauit, vt aiunt, & liberauit eos Dominus) vouit illicò in quodam monasterio, prope Brugis sitò, in honore eiusdem Apostoli consecrato, in ipsius veneratione monachos se instituturum.

Q 9 :

Cognito